

Reales Estudios de San Isidro (Madrid)

**De Scholis matritensibus a Philippo IV, erectis,
regia Caroli III, munificentia restitutis Oratio habita
kalendis ortobris MDCCLXXI in ipsa Studiorum
solenni instauratione ...**

Matriti : apud Joachim Ibarra ..., 1771.

Vol. encuadernado con 6 obras

Signatura: FEV-AV-M-01415 (06)

La obra reproducida forma parte de la colección de la Biblioteca del Banco de España y ha sido escaneada dentro de su proyecto de digitalización

<http://www.bde.es/bde/es/secciones/servicios/Profesionales/Biblioteca/Biblioteca.html>

Aviso legal

Se permite la utilización total o parcial de esta copia digital para fines sin ánimo de lucro siempre y cuando se cite la fuente

3


DE SCHOLIS MATRITENSIBUS
A PHILIPPO IV. ERECTIS,
REGIA CAROLI III. MUNIFICENTIA RESTITUTIS,
ORATIO

HABITA KALENDIS OCTOBRIS MDCCLXXI.

In ipsa Studiorum solenni instauratione.



Subjungitur carmen , quod Orationem excepit,
nonnullaque Epigrammata.



MATRITI. MDCCLXXI.

Apud Joachim Ibarra Catholicæ Regiæ Majestatis Typographum.

DE SCHOLIS MATRITENSIBUS
A PHILIPPO IV. ERECTIS

REGIA CAROLINI III. MUNIFICENTIA RESTITUTIS

ORATIO

HABITA KALendis OCTOBris MDCCXXI

In Aula Magna Universitatis Matritensis

Subiungitur carmen, quod Ordinem exoptat
nonnullaque Epigrammata.

MATRIT. MDCCXXI

EMMANUELIS BLANCI DE VALBUENA

IN ARCHIGYMNASIO MATRITENSI

REGII LATINAE LINGVAE PROFESSORIS

O R A T I O.



I quid unquam vobis A. A. à Supremo numine maxime desiderandum , ac summoperè expetendum fuit , quo & Hispano nomini clarissimus , qui ex litteris est splendor accresceret ; & ingentes à plerisque vestrum in humanioribus studiis exantlati labores justis honoribus decorarentur & praemiis , & hoc ipsum ita institueretur , ut in commune Hispanae Reipublicae bonum verteret , utiliorum disciplinarum sede , ac veluti firmissimo domicilio constituto ; id estis hodierna die singulari quadam , ac penè divina nostri Regis munificentia feliciter consequuti. Cujus studia , cogitationesque omnes ad commoda , fortunas , communemque totius imperii utilitatem semper intentae , felices , amplissimosque fructus peperere solemni hac , & jam diu desiderata Matritensis Academiae restauratione. Quo singulari facto , veluti nova quadam ex-oriente luce , spe dejectos quorundam animos confirmavit , bonorum expectationem vicit , novam-

que splendoris gratiam prudentiae, benignitati, ardentissimoque amori in suos cives, adjunxit; hisque omnibus perfectam, cumulatamque nobis felicitatem comparavit. Cum enim perspectum sit, tum certa, tutaque beatitate frui Republicas, si quem nactae sunt imperatorem, & dominum, eum litterarum amantissimum habeant; regnante enim sapientia viget jus, coluntur Magistratus, omnesque, qui huic imperio subjecti sunt, non tam legum timore, quam amore, & reverentia continentur: quibus, nos, grati animi significationibus, Regium nomen, gloriamque, quove genere laudis egregia haec Patris Patriae facinora extollemus? Atque haec quidem officia, multis certe nominibus, ob amplissima, quae in Hispaniam contulit longa temporum serie, beneficia Regi nostro jam pridem debebamus: hodierna vero die summum amoris, & benignitatis fastigium attigit, pristinam dignitatem & splendorem litteris paululum infelici casu intermortuis, ut ita dicam, & exanimatis restituens. Statuerat enim magnus ille Philippus IV. prudentissimus Rex, regiam hanc domum, utiliorum disciplinarum sedem, & quasi seminarium fore. Sed verò nec magnis impensis, nec Regiis conatibus, nec eorum quidem, quibus haec erat demandata provincia, magnificis prom-

mis-

missionibus , exitus unquam responderunt. Incidit enim , nescio quo averso fato , utilissima haec institutio , ac opus verè Regium , in quoddam hominum genus , augendis quidem redditibus intensissimum , eoque titulo de Regiorum Studiorum institutione exultans ; qui verò accuratam juventutis educationem , & disciplinam , Regis scilicèt fundatoris consilium , parvi facerent , vel potius despicerent , eòque eorum negligentia ventum est , ut Regium illud opus obscuraretur ; parumque abfuit , quin tantae rei notitia , non modo ex his aedibus , verum etiam ex hominum animis penitus deleteretur.

Jacuit bonarum artium , & disciplinarum praesidiis , & ornamento haec Regia civitas orbata ; periit Regis munificentia pietas , benignitas ; amplissimoque hoc regni caput liberalissimi Regis emarcuit privatum beneficio. In quo difficillimo litterarum , & totius Hispanae juventutis tempore , nescio an nobis metipsis vehementer gratulari debeamus. Etsi enim nihil magis nobis erat optandum , quam prospera , aequabilis , perpetuaque fortuna , secundo litterarum , & bonarum artium sine ulla offensione cursu , tamen si tranquilla omnia & pacata fuissent , effusa hac , & penè immoderata , qua nunc amplissimo nostri Regis bene-

neficio fruimur, laetitiae voluptate caruissemus. Cuncta etenim desiderata magis, quam assidue percepta delectant. Sic primum illud Philippi Quarti consilium, sumptus, institutum, quamquam mihi semper, vobisque omnibus clarissima visa sunt, tamen ea nunc singulari nostri Regis munificentia renovata, illustriora videntur, quam si obscurata non fuissent. Quorsum igitur haec disputo? Ut intelligere possitis, nullius esse tantum flumen ingenii, nullius amplificandi tantam vim, tantamque copiam, qui praeclarum tanti Parentis beneficium, non dicam exornare, atque augere, sed vel longo possit, magnoque verborum ambitu aliquatenus explicare. Totum equidem litterarum difficile tempus illud, ac omnia eaque gravissima impedimenta, quae bonarum artium restorationem occursum retardabant, ad splendidum, magnificumque Regis beneficium commendandum plurimum contulere. Quantum porro dignitatis, & gratiae dato beneficio auxit nunc magnitudo, & beneficentia restituti! Hanc verò laetitiae maximam voluptatem, in quovis restituto, vel dignitatis, vel fortunarum bono gratulantes probarem: hoc autem nuper restitutum, maximam dignitatem, salutem, omnes nostras fortunas, praeseferens, in se totam, perfectamque felicitatis supellectilem, tam-

tamquam in penu , atque reposito thesauro continens , quàm cumulato , & inaudito commendationis genere dignum consideratis? Certè necesse fuit, tot , tantisque in Hispaniam nostram collatis beneficiis , egregia illa munificentiae Regiae signa praecessisse , ut immenso illi hucusque acceptorum cumulo , hoc bonarum artium & disciplinarum , restorationis , tamquam corona quaedam , supremaque colophon , superponeretur. Quod equidem hodiernae celebritatis argumentum , ubi & comoda nostra proponenda , & Regius animus summis laudibus efferendus , mihi demandatum , libenter , & quasi gravissimam sitim explere cupiens, avidissimè arripui. Quamvis enim ejusmodi argumenti majestas se se offert , & gravitas , quae & admirandum orationis genus , & excellentissimi Oratoris auctoritatem , dignitatemque postulabat; quis erit unquam , tam expers consilii , atque ingenii , qui ad praeclara prudentissimi principis celebranda facinora , non vehementer opportunissimo tempore excitetur , perlibentissimeque ad dicendum accedat? Hanc igitur occasionem idoneam nactus, qui de hujus beneficii praestantia dicturus sum, quaeso oroque vos , ut sicuti vestros omnium oculos , in me hoc stadium perlibenter ingressum video esse conversos , sic animos simul , auresque,

si

si non ad me ex amplissimo loco dicentem , at certe ad nobilissimum argumenti genus , vobisque maximè suspiciendum , intendatis. Quod si mihi à vobis tribui concedique sentiam , perficiam profectò , ut in hâc urbe Regia bonarum artium , & disciplinarum Academiam instituere , & renovare maxime necessarium , maximèque nostrum , & totius Hispanae Reipublicae commodis conducibile , existimetis.

Et sanè , quae primum causa Regem Philippum impulit , ut in hac urbe Regia bonarum artium , & disciplinarum Academiam à primis fundamentis excitaret , publicos professores toto orbe conquisitos annuis mercedibus locupletaret , optimas leges , & statuta condi curaret , quibus hoc litterarum domicilium in posterum regeretur : eadem inquam , causa , quae nisi gravissima , & necessaria esse non potest , munificentissimum nostri Regis animum movit , ut veteris instituti consilium difficili totius Hispaniae tempore intermissum , ac penè extinctum , revocaret , & ad novum quoddam , & illustrius splendoris genus restitueret. Cum enim accuratissimè perspexisset prudentissimus Rex maximam suae felicitatis partem juvenum institutioni Resp. sapienter administratas debuisse semper , hanc verò liberalem educationem Principum ,
&

& clarorum virorum filiis maximè necessariam esse: quos sanctis, vel depravatis moribus, & cogitationibus imbutos tamquam decora, & praesidia suarum fortunarum ultrò sequuntur populi, felicitatem suam, & commoda ab illustribus viris in munerum, & gratiae fastigio constitutis autumantes: existimavit bonarum artium Academiam in urbe Regia revocandam esse, & communi huic populorum utilitati in nobilium virorum educatione constitutae praeclarè consulendum. Ac cum illustrium, & clarissimorum hominum splendore, & nobilitate Rerumpublicarum constet praecipua pars; & eorum penè omnium sedes & domicilium in urbe Regia collocatum sit, quibus honores, magistratus, dignitates, tota denique Reipublicae administratio defertur: oportet summa cura, diligentiaque filiorum educationem suscipere, eosque optimis disciplinis, & artibus instituere, ex quo maxima postmodum commoda, & perfecta illa, cumulataque totius imperii utilitas efflorescat. Neque enim audiendi sunt, siqui nobiles pueros ab litterarum studiis tamquam à gravi onere arcendos putant; existimantes, nihil tenellae illi aetati, nisi quod eorum animos, auresque inani quadam, & periculosa voluptate assentetur, objiciendum, cum maximo, & ipsorum, & communi cae-

terorum civium detrimento. Nam praestantissimi litterarum apud omnes Magistri Athenienses, cum blanditiis irretitam puerorum aetatem perspicerent nihil inde boni olim ad rempublicam, ejusque dignitatem amplificandam expectari posse, unamque liberalium artium culturam, quae & puerorum animos labore exerceret, & recrearet oblectamento, huic malo remedium reperiri; utiliorum disciplinarum Scholas pluribus in locis instituerunt; quibus à puerorum animis omnium vitiorum fontem, otium averterent, & meliorem hominis partem studiis bonarum artium erudirent, ipsamque optimis morum institutis informarent, ut tandem negotiorum expeditioni, & publicarum, privatarumque rerum gubernationi aptiores facti, sibi ipsis, & universae Reipublicae utilitati deservirent. Quare nemini, nisi qui in perpetua cunctarum rerum ignoratione versetur, dubitandum est, publicas bonarum artium, & disciplinarum Scholas in Regiis urbibus praesertim esse constituendas, ubi ad puerorum educationem plurimis negotiis impediuntur parentes animum advertere, dum aut majestatem Regiam comitantur, aut publicarum privatarumque rerum sunt administrationi praepositi, & plurimis hinc inde status civilis aliis ex aliis curis nascentibus distringuntur.

Quas

Quas res diligentissimè olim Athenienses perspexerant, qui cum florentissimas Athenas totius imperii caput designassent, utiliorum disciplinarum simul, & bonarum artium sedem, & domicilium amplissimum esse voluerunt; hinc publica humaniorum litterarum, juris civilis, & naturae, hinc naturalis, & moralis Philosophiae gymnasia constituta; ubi pari dignitate, & assiduitate juvenes virique principes ad morum, & rationis culturam feliciter erudiebantur. Adeo ut non minus potentiam, opes, dominatum ex armorum virtute parta, quam ex recta juventutis educatione comparata esse existimarent.

Quod si remotissima illa tempora, quam longissimè possumus, repetere instituamus; vix unam aut alteram, eamque Barbarorum Regiam, reperiemus, ubi non sit, vel non fuerit bonarum artium & disciplinarum publicum domicilium constitutum. Hebraeorum praecipuam inveniemus disciplinarum, Regumque sedem in Hierosolyma semper existentem praeter alias in caeteris Galilaeae, Samariae, & Judeae urbibus excitas. Regiam praeterea Aegyptiorum Memphim, cum litterarum ibi studia florerent, Orpheus, Musaeus, Homerus, Pythagoras, Plato, aliique sapientes frequentarunt. Cujus splendor in Alexandriam translatus, Ro-

mani postea proconsules, & Ecclesiae Patriarchae florentissimam urbem, & honoratissimam reddiderunt. Sed verò quid opus est haec tam multa de tam priscis temporibus congerere, cum prae oculis praeclara aetatis nostrae exempla habeamus, quae necessitatem Academiae in Regiis urbibus constituendae magna cum suorum civium utilitate confirmant. Habet totius orbis Regina, bonarum artium & studiorum antiquitatis custos, Roma. Habet Parisiorum Lutetia, duaeque Regiae Imperatoris urbes Vienna, & Praga. Habet quoque nostra Pintia, quae dignissima sedes maximis Hispaniae nostrae Regibus olim fuit. Habent aliae complures, quas omnes enumerare non est necesse. Quin etiam more suo Constantinopoli Turcae, Sinae, & Japones Pequini, & Meaci, suarum disciplinarum sedem collocarunt. Adeo ut vix tam Barbara unquam gens in extremis, atque ultimis terris posita reperiri liceat, quae disciplinarum arcem in urbe Regia non habeat constitutam.

Quod si hanc causam tam illustrem, tam gravem non haberet Rex prudentissimus, si nec caeterarum gentium exemplum intercederet, & hoc, quod facit, solius educationis causa facere profiteretur; quis esset qui tam illustre facinus, & necessarium, non jam probandum, sed maximis in

coe-

coelum laudibus efferendum non existimaret? Nolo etenim, A. A. invisum illud tempus sub aspectum vestrum subjicere, cum humaniorum litterarum studia, veluti ineptam & circunforaneam quandam, haustamque de triviis ac circulis notitiam, veteres negligebant: quum linguarum eruditionem, tamquam putidum, & inutile commercium, aspernabantur; cum Logicae veritatis lumen, subtilibus, & inextricabilibus quaestionibus barbara vocularum colluvie scatentibus, obscurarunt scioli illi de fictis, & *possibilibus* inania multa disputantes, serioque de vocula una *intrinsecè*, aut *extrinsecè* laborantes, & sudore, crebris volarum, & pedum ictibus, manantes, qui se tamen magnos Aristoteleae doctrinae conservatores stultè venditabant. Quam multa hinc inutilia & barbara, quot inextricabiles quaestiones in Theologiam invexere? Ubi linguarum orientalium notitiam, sacrae Scripturae historiam, Patrum, & conciliorum, ut minus Theologo necessaria, vel parùm utilia, ab Scholis arcebant, existimantes huic Divinarum rerum studio nihil prorsus afferri oportere, nisi quod de voculis atque scientia media rimas omnes expleret, quodque ita acriter inanem distinctiunculae sensum sustentaret, quasi pro aris & focis certamen susceptum videretur.

Haec

Haec & plurima alia, inutilia profectò, & maximè periculosa in Scholas irrepsisse, neminem vestrum latere existimo. Quibus omnibus nisi prudentissimi Regis, & in litteras amor, & in Hispaniam totam beneficentia praestò fuisset, brevi, & caeteris nationibus ludibrio essemus, & in ultìma litteratorum regione turpiter jaceremus. O labe Hispani nominis indigna! O dedecus non ferendum! Abeat, ac recedat illius temporis memoria. Discernatur orationibus nostris diversitas temporum, & ex ipso gratulationis genere agnoscat illustris haec, & praeclara tanti Parentis munificentia. Qui post maxima, & innumera, in Hispaniam suam collata beneficia, majus nunc, & opportunius, litteris & artibus tamquam postliminio revocatis, contulit. Ex quo si quantum utilitatis nobis, filiis, totique posteritati, sit obventurum, oratione complecti conarer; & nimis intemperanter abuti patientia vestra viderer, nec tamen longa oratione possem hujusmodi consilii fructus, & maximam felicitatem nostram enarrare. At vero ut pauca quaedam vobis sub aspectum subjiciam, eaque quae maximè vestros animos ad hujus restorationis commoda percipienda excitare possint; huc orationem convertere oportet.

Et quidem ut litterarum ornamenta, & subsidia

dia & totius imperii gloriam dignoscatis ex bonarum artium , linguarum , Rhetorices , Philosophiae , caeterarumque disciplinarum Studiis obventura ; ad maximum illud discrimen animum intendatis vellim , quod bonarum artium cultura non solum inter homines , sed inter populos etiam , constituit. Exiguis sanè finibus in Graecia continebantur Athenienses ; sed tamen incredibili labore , & diligentia eò scientiae pervenerunt , ut excellentiores sub idem tempus oratores , fortissimi Imperatores , sapientissimi latores legum , & solertissimi Reipublicae administratores ex eadem civitate prodierint. Quod in caeteras artes , ad vitae corporisque cultum pertinentes , faustissimis auspiciis propagatum , & feracissimam ipsis doctrinae segetem supeditavit , & praeclarissimam posteris omnibus reliquit nominis sui memoriam. Quid Romani? Cùm egregia virtute totum terrarum orbem debellasset , nonnè rerum omnium sapientia , & caeteris nationibus , & toti posteritati admirationi fuerunt? Contra vero quid Afris , ex ditissima illa ingeniorum , & sapientum virorum copia reliquum est , nisi turpissima Barbarorum nota , quam apud omnes gentes , tamquam vecordiae , & ferocitatis cognomen , inhonestissimè sustinent? Quid celebri quondam Ægypto , & eruditissimis hominibus , li-
 be-

beralissimisque studiis affluentibus? Quae tanti fuit propter excellentes artes atque doctrinas apud caeteras gentes aestimata, ut doctrinarum veluti domicilium unicum, & origo suspiceretur.

Sic quò vehementius studia haec bonarum artium apud caeteras gentes excoluntur; hoc suaviores indolem, & mores; hoc humaniores leges, hoc prudentiorem publicarum, privatarumque rerum gubernationem efflorescere quotidie videmus. Crevere non ita pridem in Septentrionis, & Occidentis populis, mirum in modum litterarum studia, exorientibus indies magnis ingeniis; laticesque ex uno fonte manantes, ingentia doctrinarum flumina certis finibus distincta celeriter constituerunt. Quod si novam aliquando formam apud nos litterarum studia susceptura sunt, hodierna sanè restauratione suscipiunt, magna cum totius Hispaniae utilitate conjunctam.

Et verò dubitabit quispiam, tot labores, tot sollicitudines subiturum fuisse, tot sumptus prudentissimum Regem tam largè, libenterque suppeditaturum, nisi maxima suorum civium, quorum ardentissimo amore flagrat, utilitas versaretur? Nonne varia illa beneficiorum genera meministis, quàm multa, quàm magna, quàm opportuna, quàm ad communem nostrum utilitatem expectantia?

tia? Ut artes ad communem hominum usum comparatae, sub illius magnificentia diligentius excolantur? ut Regiam Bibliothecam omni librorum genere locupletarit, virisque cunctarum disciplinarum eruditione pollentibus ornarit? ut commoda suorum civium, & fructus, omni ratione, terra marique conquisierit, & liberam mercaturae facultatem dederit, & gravitatem itinerum, & molestias, superatis montibus, & solo aequatis emollierit? ut viduarum & pauperum inopiae consuluerit? ut urbem Regiam pulcherrimam reddiderit, multarum aedium magnificentia, quae cum elegantissima viarum dispositione, praeclaram, & spectabilem, totius Regiae venustatem, & pulchritudinem componunt? Quid de utilissimo inambulationum spatio praedicem, de longa serie & elegantissimo arborum ordine; ubi, & animi ex forensi strepitu recreentur, & languentes valetudine vires oblectamento, & amoenitate reficiantur? Quid caetera benignitatis Regiae beneficia commemorem, quibus universam sibi gentem arctissimè devinxit?

Nunc autem quasi parum utilitati nostrae consuluerit, parumque nostrum omnium amorem sibi conciliarit, bonarum artium, & disciplinarum amplissimum restaurat domicilium, quo nihil ma-

jus , nihil opportunius poterat à nobis , nec splendida illius magnificentia dignius , excogitari. Ut enim à primo , & praecipuo disciplinarum , & totius sapientiae fundamento incipiamus , excitatur hic publicum artis grammaticae gymnasium , ubi prima latinitatis elementa pueris ad sapientiam tendentibus faciliori ratione atque expeditiore tradantur ; quibus deinde latinae orationis partes , & structura probè innotescant , ut demum hujus linguae proprietatem , elegantiam , nitorem , selectioribus auctoribus assiduè interpretandis,perdiscant. Quam Spartam A. A. latissimam nactus ego , utinam Divino favente numine exornare queam , ut , & supremæ Majestati , vobisque omnibus , meas rationes meque ipsum probare possim , & communi juventutis utilitati deservire. Quae quidem Grammaticae ars , quamquam à multis veluti res abjecta exilisque contemnatur , disciplinarum quidem omnium indagatrix est , ignorantiaeque hominum expultrix ; sine qua rudis , & imperfecta foret vita nostra ; sine cujus lumine nullus Jureconsultus , nullus Medicus , nullus Mathematicus , nullus administrator Reipublicae , nullus denique Princeps , aut Legumlator ab offusis se tenebris posset extricare. Abeant igitur , ac recedant , qui grammaticorum officium tamquam leve , & nugatorium exagitant.

Cer-

Certè tanta grammatices vis est , tanta praestantia, ut cum diligentius tractata fuerit , plurimum caeteris disciplinis , & artibus afferat luminis & ornamenti ; eâ verò neglectâ , totum doctrinarum pondus infirmis fundamentis innixum corruat necesse est.

Quid verò de maxima & admiranda potius poeseos utilitate loquar : de prima hac disciplinarum omnium custode , in qua una divinae , humanaeque litterae diutissimè comprehensae sunt ? Nam quicumque in aliquo doctrinarum genere caeteros aetate antecellunt , suoque ordine habiti sunt Theologi , Philosophi , Jurisperiti , ex poeticis scholis prodierunt , in quibus scientia omnis parta est , atque unice primis temporibus exulta ; ut Strabo , Plutarchus , ut maximus ille , qui solus satis erat , testis Tullius , tradiderunt. Quod quidem non ad ipsa mundi incunabula referendum est , & divinando conjiciendum ; cum ex hoc numero fuerint Musaeus , Homerus , Hesiodus , Parmenides , Epimenides , Pythagoras , Solon , Empedocles , qui divisionem , quae nunc est , disciplinarum , & artium , cum praecessissent , variam , multiplicemque eruditionem carminibus comprehenderunt , & modo Poetae habiti sunt , modo generali nomine sapientes dicti. Fuit haec sapientia quondam , ex qua crescentibus ingeniis una cum Graeciae opibus , juris,

& aequi scientia propagata est ; hinc illa , quae de Deo , rebusque divinis dissereret , Theologia ; hinc Physicae , & Mathematicae disciplinae , quae naturam , latentesque naturae causas , subtiliter investigando , patefacerent : hinc Philosophiae Moralis institutio , quam sibi Philosophi , novum quoddam , & austerum hominum genus , arrogaverunt.

Sed verò ad germanam ejus Rhetoricam proferat oratio , cujus excellentiam , & fructus , quis unquam dignè commendaverit ? Quam maxima commoda publicis rebus invexerit Rhetorices institutio , ex tot antiquitatis , & totius aetatis nostrae monumentis , & sapientum virorum testimoniis intelligi per quam facile potest. Quot tumultuantes gentes , civitatibus caedes flammamque minitantes , flexit Rhetorices occulta vis , pondus , majestas ? Quot infirmos atque exanimatos exercitus ad pugnam , & victoriam ardentius excitavit ? Quot prava consilia ejus artificio sedata , quot impios ad veritatis lumen revocatos , quot lites compositas , quot impendunt mala publicae saluti retardata , atque impedita quotidie esse videmus ? Longum esset horum exempla congerere , quae maximam Rhetorices utilitatem ob oculos ponerent , & admirandum artis genus commendarent. Siquid autem illius praestantia dignum concipere vultis A. A. magnum
illud

illud ingeniorum portentum intuemini Tullium, cujus cunctarum rerum scientia, & excellens artis Oratoriae facultas, non minorem gloriam Romano imperio, quam bellica tropaea & totius terrarum orbis dominatio comparavit: quique ob insignem artis oratoriae praestantiam, dignitates honoresque à Romanis obtinuit, quales nunquam alius memoriae proditum est obtinuisse; patriaeque patrem, & Reipublicae conservatorem non semel conclamaverunt. Haec artis oratoriae dignitas est, haec sublimis illa, nunquamque satis commendanda praestantia, de qua longa oratione apud vos humanissimos homines verba facerem, nisi me graeci sermonis laus, & utilitas saepè ab illustribus viris praedicata vocaret ad sese. Ex cujus notitia quae in totam rem litterariam emanare possunt emolumenta, ea maxima sunt, paucisque, quos aequus amavit Jupiter, probè perspecta.

Primum enim ad latinorum auctorum intimos sensus reserandos vehementer proderit, qui cum suarum rerum scientiam graecis cum litteris junxerint, obscuritatem saepè secum ferunt non parvam, quae graecarum litterarum prorsus ignaris maximo impedimento est, ab iis verò qui vel exigua sermonis graeci notitia pollent, facile dispellitur. Deinde ad totam Romanorum doctrinam

ritè interpretandam necessaria est , qui videlicet humaniores disciplinas , totam Philosophiam , totam Juris civilis , & Naturae scientiam , ex Graecia reportarunt : quique in caeteris rebus ad vitae corporisque cultum pertinentibus , ad graecos mores ita erant compositi , ut omnem Graeciae legum prudentiam , rerum scientiam , gloriam , Romam fuisse translata , Molonem , summum illum Rhodis hominem , coram frequenti populo pronuntiassit notum. Quid quod excellentiores in unaquaque facultate Magistros , & Scriptores , ingeniorum feracissima Graecia , quam reliquis orbis , tulerit ; quorum scientia , eruditioneque , frequenter utimur , vel potius egemus ? Quid , quòd nemo adhuc extitit aliquo doctrinarum genere mediocriter eruditus , qui linguae graecae utilitatem non fateatur , non probet , non omni ratione juvenibus ad sapientiam tendentibus suadendam putet ?

Jam non minus emolumentum ex Hebraicae linguae cognitione in litterariam Rempublicam effluere , testes erunt , qui sacrorum librorum doctrinam , rectamque eos interpretandi rationem calleant. Certè nequit is ritè sacras Scripturas interpretari , qui linguam , ut ita dicam , primigeniam non noverit , qui Hebraeorum mores , & professionem nesciat , quibus adjumentis facillimè in ejus
sen-

sensus penetrare possit, qui linguae antiquitatem non didicerit, & ejus structuram, & naturalem ordinem, & propriam figuratamque constructionem perspexerit. Itaque, qui Sacram Scripturam feliciter olim latinam reddidere, Hebraici sermonis peritissimi, & in Hebraeorum moribus, & historia versatissimi fuerunt quidem; obscuritatem tamen ex hebraico sermone natam in latinum transtulere. Nunc autem Sacrarum Scripturarum studia hebraicae linguae institutione maximum incrementum accipient, tum Hebraicos libros introspectando, tum plurima recentiorum scriptorum veteribus adjiciendo, quae magnam sunt utilitatem ad sacrorum librorum interpretationem allatura.

Quod etiam emolumentum ex Arabicis litteris emanabit ad posteros, praeposito sermonis Arabum publico professore; ex cujus schola eruditissimi prodeant adolescentes, qui repositam illorum temporum scientiam, eruditionemque maxima cum totius Hispaniae utilitate patefaciant. Turpe etenim est, & minimè ferendum, quod cum longissimo temporis spatio sub Africanae gentis jugo Hispana virtus, tot perpessis laboribus, ingemuerit, eorum historiam, nostramque Arabicis conscriptam litteris, caeteraque ipsorum scripta quamplurima, penitus ignoremus: & qui ipsorum dominationem,

&

& captivitatem toleravimus ; nunc tandem regno, divino favente numine , depulsis , atque exterminatis , nos aequè eorum utilitate , & monumentis non perfruemur.

Sed verò necesse est cunctarum disciplinarum, quae hodierna celebritate , in lucem , splendoremque pristinum , revocantur , pauca delibare , ut melius ex earum formis , & instituto , fructus , & obventura commoda percipiatis. Hic inter primas omnium maximè necessaria sese offert Logica , quae rectam nostrae menti dijudicandi rationem tradendo , eamque de veritate , & erroribus informando , certissimam , veluti digito , monstrat viam , & quasi facem praefert , qua tutò possit ad sapientiae laudem , discussa mentis caligine , adipiscendam perveniri. Quae , non veterum Scholasticorum subtilioribus obruta quaestionibus , nec barbaris novisque loquendi formulis , à cerebrosis hominibus inventis , conspersa , sed ex optimorum hodiernae lucis scriptorum meditatione , studio , atque observatione , contexta , in rectè ratiocinando , in aliorum cogitationibus ritè intelligendis adolescentes instituat ; idque non ut cavillationibus , frivolisque argutiis disserant ; sed ut in disciplinis sibi , & humano generi utilibus proficiant. Cujus vis , & utilitas tanta est , ut ad caeteras quoque disciplinas

nas

nas longa & illustri propagatione diffundatur.

Maximos vero fructus, qui ex Physicae artis cultura percipi possunt, egregiè nobis demonstrat, Gallorum, & Anglorum commercium, Agricultura, caeteraeque Artes omnes, quae ad usum vitae, & ad communem civium utilitatem deserviunt. Quae quidem scientia cuncta naturalium rerum phaenomena colligens, primum lapidum, metallorum, plantarum, herbarumque, fontium, animantium, Meteororum, Astrorum continet cognitionem. Deinde generatim de corpore, ejus proprietatibus, ac praesertim de motu, motusque legibus disputando, prima naturalium principia rerum perscrutatur. Postremò ad usum vitae deducitur, earumque rerum quae sunt ad vitam necessaria.

Quam multa hìc de utilitate Matheseos enarrare possem? Haec enim praeclarissima est illa facultas, quae sapientiae nomen una praesefert, quaeque verae demonstrationis leges, & methodum, disciplinis omnibus maximè necessariam, sola docere potest, quae mentem nostram ad rectè concludendum aptiorem atque expeditiorem efficit; quae demonstrandis theorematis Physicis inservit; quae Mechanicas omnes artes promovet; quaeque discernendi facultatem vera inter & falsa principia

D

nos-

nostris animis , usu demonstrationum ingenerat. Omnes denique artes vitae utiles plurimum ex Mathesi & incrementi & perfectionis suscipiunt.

Maxima sunt quidem AA. ac penè innumera caeterarum disciplinarum commoda ; at majora profectò nobis offert Philosophiae Moralis institutio. Haec enim illa est necessaria in primis , atque utilis disciplina , reliquarum omnium fructus jucundissimus , totius vitae , totiusque societatis rationem continens , sine qua caeterae artes , & disciplinae , inertia pondera sunt. Quâ cum juris naturae & gentium disciplinae ita arctissimo vinculo junguntur , ut & nos quoque in oratione nostra conjungendas putemus. Quarum ita sese latissimus discendi campus ostendit , ut qui eas assequi velit , studiis quoque divini juris , Sacrorum Canonum , Civilis scientiae , & humanae naturae incumbere debeat ; totamque officiorum rationem in Deum , in nosmetipsos , & in reliquos homines disquirere. Magnum quidem hoc opus , & maximis laboribus , & doctissimo homine dignum. Restat denique utilissima illa Ecclesiasticarum rerum disciplina , ubi universa Ecclesiae Historia , mores , instituta , diversa tempora , ritusque declarentur. Quorum notitia ad animadvertenda morum ecclesiasticorum discrimina , ad plurimas , quae ex tempo-

porum vicissitudine oriri possunt difficultates depellendas, ad rituum originem & dignitatem dignoscendam, tuendam, & praeclarè amplificandam plurimum valet. Atque haec tandem est hujus restorationis, & instituti Regii veluti corona quaedam, quae ecclesiasticarum rerum luce splendens caeteris disciplinis imponitur.

Hoc verò praeclarissimum Regiae benignitatis, & prudentiae, monumentum est, disciplinarum scilicet & bonarum artium sedis publicae constitutio; quae nobis omnibus, totique posteritati maximos afferet fructus & illustre Regi nostro nomen apud exteras gentes comparabit, florentissimaque illa Hispanarum litterarum tempora nunquam satis laudanda revocabit. De aureo illo sexto decimo saeculo loquor, Auditores, cujus memoria apud cunctas nationes liberalibus disciplinis educatas erit sempiterna. De aureo illo saeculo, quo bonarum artium studia apud nos tanto cum splendore nitere visa sunt, quanto nunquam majores nostri viderant, nec certe fuerunt. Hanc autem illius temporis scientiam, eruditionemque, ex his aedibus excitatam jam mihi videre videor, totum orbem implere, prodeuntibus indies maximo ingenio viris, qui ad sapientiae summam totis viribus contendentes, multis laboribus, vigiliis, in-

defessis curis , uter prius veterum recentiorumque gloriam superet , certare videantur. Quam laetum , Hispania , exultabis gaudio , cum novos ex his aedibus exoriri videas Nebrissenses , Vives , Sepulvedas , Nonnios , Brocenses , Canos , Montanos , Augustinos , qui in pristinam dignitatem , splendoremque litteras vindicantes , amplissimum aeternumque tibi decus comparent , teque iterum cunctorum exemplum , totiusque posteritatis iterum admirationem efficiant ! Nunc autem temperare jam mihi non possum quin praeclarissimi nostri Regis munificentiae vehementer gratuler , quod viam , quae ad sapientiae laudem adipiscendam perducit , aperuerit , expedierit , munierit. Quis etenim tam rudis , & ingrati animi reperiri poterit , cui hanc viam totis viribus ingredi non animo fixum , destinatumque sit , cuique ad summam contendere , nullis laboribus , nullis vigiliis intermissis , non honestissimum esse videatur ? Nonne vobis omnibus , multorum sapientum testimoniis est ab adolescentia persuasum , nihil esse in vita nobilius , nihil tantopere expetendum , quam sapientia , ad eam autem assequendam , labores , assiduas curas , insomnes denique noctes parvi esse duendas ? Quod si hoc animo , ornatissimi viri , quo majores vestri fuere , constantiam hodie vestram

con-

confirmare vultis , patet via ab piissimo Rege iis omnibus , qui ad sapientiae culmen pervenire cupiant , expeditissima. Jam ad altissimum sapientiae montem convenistis : nihil de arduo , difficilique ascensu consideretis : qui ad summam nituntur (hoc unum cogitate) altiùs inhaerent.

Vos ergo Patresfamilias , qui filios utiliorum disciplinarum splendore ornare vultis , vobismetipsis gratulamini , qui felicissimo Hispaniae tempore suscepistis eos , Regiae munificentiae , vestrorumque meritorum dignissimos hodie fructus habituros. Vosque litterarum studiis dediti adolescentes, macti virtute stote ; ut totis viribus , totoque pectore in disciplinas utiliores incumbentes , summorum , & illustrium virorum , qui nostrae Reipublicae fuerunt ornamenta , vestigiis insistatis , & maximis ex hac restauratione fructibus perceptis, pares Regiae benignitati gratias referre , & vobis regique nostro utiles , & decus , atque ornamentum Hispaniae , & praesidium totius Reipublicae firmissimum esse possitis. Nos autem , Auditores, nobismetipsis , & Regi nostro praeclarissimo de tam illustri , & necessario opere tandem perfecto vehementer gratulemur.

DIXI.

IGNATII LOPEZII DE AYALA

IN ARCHIGYMNASIO MATRITENSI

REGII POESEOS PROFESSORIS

C A R M E N.

EST vetus , aeterno nutu firmata Deorum,
 Et Phoebi , & Themidis concors sententia , Musas
 Sedibus Aoniis , bifidaque ab rupe profectas,
 Heroum in patriam Hesperiam , labentibus annis,
 Venturas : hoc velle Deos , hoc volvere fata.
 Id fore cum populos regeret sanctissimus aequi
 Servator , bellique potens , Rex maximus , & qui,
 Parthenope captâ , & Siculis ditione subactis,
 Pacatum gerat imperium : tum regna paterna
 Divorum , atque hominum supremo jure vocatus
 Rex ineat , sanctè expediat discrimina rerum,
 Regiaque instituat desertis praemia Musis.

Temporis has leges , & ineluctabile fatum
 Dum secum evolvit , dioque in pectore versat,
 Castalias lauros inter , turbamque sororum,
 Eventura videns , & carminis auctor Apollo;
 Borbonium ut meminit latè increbescere famâ
 Regnantem Carolum , donisque arcessere Musas;

La-

Labere , tempus , ait , felix , & praepete pennâ
 Pristina fac impleta fuant oracula Divûm.
 Vos quoque , cara Jovis soboles , vos numina vatum,
 Exultate animis ; Musis felicius omen
 Exoritur tandem , & meriti redduntur honores.
 Terra potens armis , & coeli munere dives
 Hesperia est , summoque Deûm dilecta Tonanti;
 Invidiâ sed enim scelerati Martis , & armis
 Nondum elata caput , totas nec pectore vires
 Magnanimo exseruit: veteres nondum aemula Achivos,
 Nec Capitolinos superavit Iberia vates.
 Ipsa licet natura , atque indulgentia coeli
 Faverit , & melior gentes inflammet origo.

At nunc jussa Deûm , & rerum immutabilis ordo,
 (Nostis enim pactamque fidem , & jurata Deorum
 Nomina) cum Carolum tulerint sub luminis oras
 Jura ministrantem , votis ardentibus urgent,
 Deserto ut veteri hospicio , nova tecta petamus,
 Manznariasque undas undae anteferamus avitae.
 Ergo agite antiqui voti potiantur Iberi.
 Gens haec , sublimes animae , sibi praemia laudem
 Exposcunt unam : juvat indulsisse labori
 Fulmineos animos , certaeque occumbere morti
 Pro fama , vitamque putant sine laude pudendam.
 Egregiosne viros , & magnae laudis anhelos,
 Prostratos patiemur ? Eruntne elusa sororum

Fila trium? Phoebumque Deum falsi arguet aetas?
 Irrita fatorum series? vox irrita Divum?
 Non opus auxilio nobis est; auspice nullo
 Tempus eget; regnat Carolus: satis ille superque
 Praesidio Musis. Quid aventia vota moramur?
 Maximus hic Rex est, cui fausto pollice Parcae
 Fata neunt: Caroli auspiciis gens inclyta bello,
 Inclyta pace viget; doctrinae & laude vigebit,
 Si modo promissis stemus, quaesitaque servant
 Numina nostra fidem pactam. Rex impiger aras
 Carolus, aeterno placabit thure Camoenas.
 Quid moror? Assiduis curis, animoque tenaci
 Rex sacra nostra colit, doctasque exsuscitat artes.
 Herculeae testes, quas olim condidit arces
 Alcides, urbemque suo de nomine dixit.
 Illius excisos lapides, avulsaque saxis
 Saxa, Corinthiacae gentis perfecta labore,
 Heroumque, Deumque sacros è marmore vultus
 Spirantes vestigat amans, ubi motibus olim
 Vesbius ignivomis Alcidis diruit urbem.
 Hic ille est quem fata parant; invictus, Ibera
 Agmina ductor agens, Hispano è littore cessit.
 Tum Siculas arces, pavefactasque ignibus oras,
 Parthenopen, Capuam, profugique altricis alumni
 Moenia Cajetae properanti Marte subegit.
 Dein resides animos, desuetaque pectora bellis

In-

Incendit , rapuitque Italos virtutis amore.
 Nunc populis leges , aequissima jura togatis
 Edicit , belloque hostem , & virtute coercet
 Imperium ; ingentes census hic divitis auget,
 Solaturque inopes , & largo munere donat
 Emeritos , auctâque juvat mercede merentes.
 Advena quin etiam deserta in parte receptus
 Munificam miratur opem , quâ Carolus ipsi
 Consultit. At quo me virtus rapit inclyta? Musas
 Munera siquando , & pietas traxere volentes,
 Borbonii Caroli nunc nunc vocat inclyta virtus.
 Accelerate viam , sedesque adeamus amicas,
 Quas si Pieridis fata importuna negarent,
 Exoranda forent , ut tandem intrare liceret.

Talia divino Phoebus pater edidit ore.

At , non Hesperiiis aequè pia numina , Musas
 Non idem ardor agit , nec par sententia menti
 Insidet. Haud animis saevi monumenta doloris
 Exciderant ; imo causas in pectore servant.
 Doctrinae contemptus honos , reverentia nulla
 Artibus , invisi vates , & pene procaci
 Monstrati digito. Musas coluisse periclo
 Hei pudor ! infando fuerat , vulgusque potentum
 Non colere , aut cultas turpi duxisse pudori.
 Vatibus inde probrum. Contrâ super aethera latum
 Ignarum genus , & casti qui foedera lecti

Commaculare docent, quisve una est gloria verbis
 Lusus in ambiguis, aut monstra inducere scaenis.
 Hinc indignantes tacito cum murmure Phoebum
 Stant circum immotae, curas sub corde prementes.
 Haec tandem Clio: Caroli quæ plurima fando
 Enumerare potes gesta ecquæ nesciet aetas?
 Et memini, & Musas nimium meminisse necesse est.
 Sunt etiam qui nos olim coluere Poetae
 Hispani, & nostrum nomen super astra tulerunt.
 Ast aliae turpes, importunaeque volucres
 Perpetuis odiis, & acerbo Marte fatigant.
 Quin etiam nostro praetexunt nomine culpam,
 Aoniosque choros, Phoebæque numina jactant.
 His sociae monstris Jovis omnipotentis alumnae
 Hesperiae, quamvis caras, labemur ad oras?
 Hoc decus? has sedes nobis? haec scepra requiris?
 Quin potius dirum fugiamus littus; Ibera
 Gens luat, immerito quanquam, pro gente pudenda,
 Pascat & ignaros evanida gloria vates.

Dixerat: ingenti motu plausere sorores,
 Et nova praeteritos renovarunt crimina sensus.
 At pius aggreditur flammato pectore Phoebus:
 Ipsane fatali incisas adamante revelli
 Posse Deum leges credis? Mea numina falli?
 Ibitis Hesperiam, primamque intrabitis urbem.
 Non eadem fortuna viros, quæ saeva premebat,

Tur-

Turpis agit, rerumque alius jam nascitur ordo.
 Artibus ipse novas leges, nova praemia ponit
 Rex Carolus, gratamque domum, atque ingentia templa
 Adjicit, & regale decus. Sua dona ministris,
 Muniaque instituit certis. Pars vertet aviti
 Sermonem Latii; pars, nobile nomen, Athenas
 Deducet veteres, & verbis molle fluentem
 Isocratem, similemve Jovis Pericléa tonantem,
 Sive Philippéas celeris Demosthenis iras,
 Praecipites numeros, & non imitabile fulmen.
 Te quoque Romana pro libertate ruentem
 Eloquio, Cicero, saevosque, incense, furores
 Antonî, & Clodii, & Lucî obscaena minacis
 Probra recensentem, & miscentem incendia latè,
 Ille renarrabit. Primaevi verba parentis,
 Atque Arabum quaerent alii: pars viscera terrae,
 Et, licet obstantis, naturae arcana recludet:
 Pars numeros dicet, tacitèque fluentia coeli
 Lumina, solis iter certum, lunaeque labores.
 Ast alii priscos ritus, & sancta vetustis
 Acta ministeriis referent: hi jura requirent
 Quae natura parens animis edixerit olim,
 Cum vaga gens, nondum dominis assueta, ferino
 More trahebatur: tum qui certissima veri
 Quaerendi praecepta ferat; moresque severos
 Qui doceat, turpesque procul disjungat honestis.

Alter erit tandem reges , atque horrida bella
 Queis merito Hispanum coelo se gloria tollit,
 Qui canat , heroum & tribuat sua praemia gestis.

Quin etiam vatium memorabile nomen Iberum.
 Non socius populus , nec quem virtute subegit
 Roma potens , certet. Coelum scrutatus Hyginus
 Astrorumque vias Grajum praevertere Aratum
 Tentat Iber vates. Romae pudor ! adspice qualem
 Te , Cicero , extinctum , Latiaeque silentia linguae
 Baeticus Hena fleat. Cedet quoque Gadibus Ascræ
 Dum , Columella , canis cultus , & munera lacta
 Pinguis agri. Juvenis manet , aeternumque manebit
 Lucani immortale decus , qui Caesaris arma,
 Pompeique minas , & lamentabile fatum,
 Virgilio trepido , Cygneâ voce tonavit.
 Quis Senecæ , Silii , Valerii jucundaque Marci
 Nomina ? quis manes Ariæ , quis sacra Gomezii
 Non colit ? aut vates alios , quos temporis aetas
 Posterior tulerit ? Lasum quis ab arce ruentem
 Non dolet ? Heu ! properâ Parcarum , prodige vitae,
 Intercepte , jaces dextrâ : si fata dedissent
 Majores in luce moras , ab vatibus unus
 Smyrnaeo , Andinoque simul spolia ampla referres.
 Ergo agite augustas arces , & limina templi
 Quae votum Hesperiae , & Caroli clementia pandit,
 Unanimi , aeternum mansuri , adeamus ovantes.

Ag-

Agnovere Deos , & jus immobile fati
 Pierides , plausu & Phoebum exceperere loquentem.
 Hinc vetus hospitium , dilectaque marmora quondam
 Pimplae deserere ; hinc sedes , & maxima templa
 Matrity colere ; hinc jucundos visere montes,
 Et placidis habitare locis , ubi flavus opacas
 Populeis ripas Manznarius alluit umbris.
 Hanc certam voluere domum : ex hac dicere leges;
 Hinc cordi est artes , antiquaque nomina gentis
 Instaurare , animisque effraenis addere jura.
 Vatibus hinc stimulos addent , qui carmine dicant.
 Devictas gentes , & quae fortissima Iberum
 Pectora tot clades Afris , tot funera Gallis
 Intulerint : illos etiam qui Maurica primi
 (Cum Gothicum robur , gentisque evertere regnum
 Hei meritum ! placuit superis) virtute secundâ
 Vincula recusarunt , vel aperta in fata ruentes
 Excussere jugum ; aut primis qui incognita saeculis
 Littora , post varios casus , pelagique labores,
 Invenere ; & qui longo certamine regnum
 Agmine ab invisio justo asseruere Philippo.

Sed quis erit qui facta queat tua ferre per orbem ?
 Quis quod in Hesperiam revoces, Carole optime, Musas ?
 Non ego , non mortalis homo ; sibi sumpsit Apollo
 Tantum opus , & patrio Musae huc à vertice ductae.
 Audiet haec & quae tellus extrema refuso

Sub-

Submota Oceano est , & siquam impervius axis
 Frigidus ad rigidos cogit durare Trionas.
 Quod mihi si vires tantis conatibus aequas
 Fata negant , Carolique animos , & nobile donum,
 Etsi avidus , timeam aeternae committere laudi;
 Ipse tamen Musis , votoque intentus anhelò,
 Cum juvet hanc nobis superos injungere curam;
 Assiduus custos Phoebi penetralia pandam,
 Foederaque , & leges , & non corrupta Dearum
 Jura canam : nec vana placent insomnia vatum,
 Nil mortale placet ; sed toto pectore Phoebum
 Excipiam : Deus ipse , Deus nostro ore sonabit.
 Exaudite preces , Superi , juvet alite dextrâ
 Magnanimae Hesperiae communia vota probasse.



IN DISCIPLINAS

A CAROLO III. MATRITI RESTITUTAS

EPIGRAMMATA.

I.

Carolus insignis pariter pietate vel armis
Pierides revocat , quae sua gesta canant.
Non Mecoenatis dextra est opus inclita Musis:
Augustus Musis Carolus ipse favet.

II.

Elysiis queritur veterum dum turba sophorum,
Quòd prima à Musis praemia tentet Iber;
Haec Rhadamantus ait : cineres sine voce jacetis;
Una haec ad vitam vos via ferre potest.

III.

„Eja age , vel Reges nostrae teneantur amore
„Doctrinae , aut teneant Regia sceptrà sophi:
Dixistis quondam , veneranda ò turba sophorum;
Quod votis quondam saepe petistis , adest.
Carolus adsciscit doctos , sibi doctus & ipse;
Hinc regnante ipso magna lycea patent.

IV.

IV.

Aoniis Phoebi quaesitum numen in antris,
Quaerenti vati hos reddidit ore sonos:
„Sedibus antiquis frustra jam oracula quaeris;
„Regnat ubi Carolus , regnat Apollo tuus.

GRAMMATICAE.

V.

Grammaticae quisquis patientem denegat aurem,
Atque in ea tempus ponere turpe putat;
Invia sunt illi Rhetorum peramoena vireta;
Nequicquam Pindi vincere tentat iter:
Per disciplinas sine lege vagabitur : aptè
Scribet nil : cultum proferet ore nihil:
Denique si templum velit extruxisse Minervae;
Fundamen spernens , quâ extruere id poterit ?

POETICAE.

VI.

Non tigres ursosque lyra Rhodopeius Orpheus
Perdomuit ; tenet at fabula prisca fidem.
Nam simul ut blandi resonarunt carmina vatis,
Ad numeros homines dedidicere feras.

VII.

R H E T O R I C E .

VII.

Romani eloquii Hispanos praecepta docentes
Ut campis Cicero vidit ab Elysiis;
Hoc unum restabat , ait ; proh impia fata !
Romanum nomen sic premere usque juvat !
Olim Romam armis Hispana potentia fregit,
Romana ut fuerat Graecia fracta manu;
Eloquionè etiam (namque haec laus una manebat)
Qui Graecos vici , me quoque vincet Iber ?

L O G I C E .

VIII.

Naturas hominem rerum contraxit in unum
(Magno hîc compresso scilicet orbe) Deus.
Indita mens itidem , alta quae regnaret in arce,
Cuncta regens ; qualè est Principis officium.
At (miserum !) huic hebeti torpebant lumina visu
Principi : id innatum sit , vitio vè domûs.
Quale malum regno , facilis Rex labier , haerens
Semper , nec rectas doctus inire vias !
Inventus faustè est medicus ; mens quo auspice verum
Dignoscit falso ; comperit : en Logicen.

PHYSICE.

IX.

Pars homo naturae princeps cognoscere rerum

Dum causas optat, nox nigra cuncta tegit.

Sed quid discendi studium non efficit? Abdit

Quod natura diu, detegit ars hominum.

MATHESIS.

X.

Ad numeros tellus, aër, undaeque fluentes,

Et coelum ad numeros itque reditque suos.

His licet immensos tractus percurrere Olympi;

His licet astrorum dicere posse vias.

Quale Dei munus! Potis es, ductrice Mathesi,

Mundana ad leges cuncta referre suas.

ETHICE.

XI.

Deseruit terras, coelumque Astrea petivit,

Humanum strueret cum genus omne nefas.

Rixa, furor, caedesque vigent, & patre perempto

Instruit (horrendum!) filius ipse dapes.

Jupiter ingemuit; lapso & succurrat ut orbi,

Est homini morum lex medicina data.

FUS

JUS NATURAE.

XII.

Humano, redeunt veteres, quas pectore, leges,
Aeterni artificis sculpserrat ante manus.
Jus colitur, fuerunt illaeso quo, aurea saecula:
Vt illa aetas caruit; nesciit illa dolum.
Nunc quoque suscipiunt priscum dum jura nitorem;
Quidni & primaevus moribus adsit honos?
Et quidem erit terra antiquo jam laeta reverso
Numine, quod ferri tempore perdiderat.
Ira, furor, caedesque aberunt, furtumque nefandum;
Belli visque nefas exuet ipsa suum.

DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

XIII.

Cum canones Patrum, ritus, moresque docendos
Viderit Hispanum religiosa cohors;
Quidque Nicaea suis, quid legibus alma Toletum,
Braccara quid, vel quid caverit Illiberis:
Adsit, ait, tantis coeptis Deus: ecce recurrunt
Christiadis veteres, & sine labe, dies.

ANNUS M. DCCLXXI. ter. felix.

XIV.

Salveto ò felix annus, quo Hispanica tellus
Fert nobis fruges uberiore sinu:
Carolus ampla auget quo Rex mercede magistros:
Et quo AUGUSTAM augent numina prole DOMUM.



(XLIII)

O D A.

AL Monarca mas justo
Que llegó á conocer el mundo entero,
Al Padre de la Patria , siempre Augusto,
Siempre pio y feliz CARLOS Tercero:

Solo dirigir quiero
Mi voz en este dia,
Y hablará por mi voz su Monarquía.

No ya una falsa Diosa
Minerva , no unas Musas , que fingidas
Fueron entre la fábula engañosa,
Deben ser de nosotros aplaudidas,

Al ver restablecidas
Las Ciencias por la mano
Que empuña dignamente el cetro Hispano.

El Dios Omnipotente,
Dispensador de gracias y de dones,
Coronó de virtud su excelsa frente
Mucho mas que de triunfos y blasones:

Repita aclamaciones,
Mas no la injusta fama,
Sino la voz de un pueblo , que le ama.

Ingeniosos Ibéros,
A quienes un templado y suave clima,
Con benignos influxos placenteros,
A emprender los estudios os anima:
De la gloriosa cima
De la ciencia el camino
Patente está , corred á tal destino.

En la honrosa porfia
Sus beneficios os darán la mano,
Y os servirán de respetable guia
Los mismos hijos de este Soberano,
De Salustio el Romano
La historia nos franquea
Un Infante Real con su tarea.

¿Mas qué correspondencia
Exîgen de nosotros sus piedades ?
Solo que en el estudio de la ciencia
Nos procuremos mas felicidades.
Las futuras edades
Oyrán envidiosas
De CARLOS las acciones portentosas.

Pero no , que copiado
Le verán en su hijo generoso
El Príncipe , de todos tan amado
Quanto para con todos amoroso:
Y en el Infante hermoso,
Que nos concede el cielo
Por nueva imagen de su heroyco Abuelo.

Publicó el nacimiento
De otros Príncipes vano regocijo,
Que acabándose luego en un momento,
La gloria obscureció del Real hijo:
Mas ahora colijo
Será mas duradera
La alegría , pues es mas verdadera.

Justas , fuegos , clamores
Alegran á los pueblos solo un dia;
Remediar la pobreza y los dolores
Del miserable , sí que es alegría:

Toda la Monarquía
Se verá alborozada,
Al mirar tanta huérfana casada.


F I N


Por este medio luego
Se multiplicarán los labradores:
Estos con su familia, al patrio fuego
Sentados, al tratar de sus labores,
Con diarios loores
El nombre venerado
Dirán, de quien tal bien les ha enviado.

Vosotros estudiosos,
Que perficionareis vuestros talentos,
De la Ciencia en los campos deleytosos,
Multiplicando los conocimientos;
Con los descubrimientos
Publicareis al mundo
La gloria de un Mecenaz sin segundo.

Y pues ya las acciones
Grandes consigo llevan su alabanza,
La gratitud de nuestros corazones
Es la parte que á todos nos alcanza.
Logremos la esperanza
De ver en este estado
Nuestro bien con su vida eternizado.

F I N.





LAFUENTE

ESTUDIOS
DE
SAN ISIDRO

39

